# DISSERTATIUNCULA ANONYMI DE ILLO IMPERATORIS MAXIMIL. 2. DICTO CONSCIENTIIS...

Johann David Müller, Valenti Gonzaga

Digitized by Google

FAcit ea, benevole lector, quam de tua humanitate concepi, fiducia, ut autoris diſſertatiunculam, in qua Jeſuitarum male ſana conſilia & ſtudia juſta libertatis oratione perſtrinxit, recenſitam tibi offerre in animum induxerim. Quemadmodum enim ille de chriſtiana fide placide & in timore Dei ſcripſit: ita pro eruditione tua atque in religionem chriſtianam affectu propoſitam diſquiſitionem, in qua de fide omnis eſt controverſia, ſerio examinabis, ac ſpectabis, nos chriſtianos, quibus etiam Jeſuitæ omnisque Pontificiorum Clericatus annumerari volunt, non ſub dura Moſaicæ legis diſciplina, ſed placido Chriſti Servatoris regno vivere, cujus diverſa vox, genius, inſtituta, mores, ab iis, qui duriorem iſtum & ad idololatriam pronum exercebant populum. Hic gladii in vomeres conflandi, & lanceæ in falces, hoc eſt, omnia pacata & tranquilla eſſe debent. Non nocebitur in monte ſancto, qui chriſtianorum eſt Eccleſia. Ultimum hic peccatorum eſt ſupplicium, pro Ethnico & publicano haberi, h. e. ab Eccleſiæ communione ar-

ceri. Omnis hic cautio eſt, a fermento Pſeudoprophetarum eſſe cavendum. Poterat certe filius Dei, patris ſui cœleſtis potentia armatus, diſſentientes Phariſæos templis exigere, poterat cataphracta militum manu omnem Solymam & Judæam ad fidei obſequium compellere; dignitatibus & functionibus publicis exuere, quotquot chriſtiani eſſe nollent. Sed diſplicuit ſapientiæ divinæ ſuperba illa in conſcientias dominatio; & quos doctrina non potuit, armis ſub ditionem redigere imperioſum magis & militare, quam religioſum, judicavit. Omnem in rebus ſacris ferociam ac animi impetum voce iſta compeſcuit: neſcitis, cujus ſpiritus filii ſitis. Non venit hominis filius perdere, ſed ſalvare animas. Et, ſinite Zizania, hoc nomine diſſidentes a Pontificiis inſigniri ſolent, creſcere usque in diem meſſis. Nunc præcipiti & intempeſtiva judiciorum falce demetuntur Zizania, aut calcantur pedibus, de quibus, an Zizania ſint, anceps, quam diu hic vivitur, eſt dubitatio. Apoſtoli, præceptoris ſui ſanctiſſimi veſtigiis inſiſtentes, non alia via, quam lenitate, fide, tolerantia, moderatione chriſtianam Eccleſiam per univerſum orbem plantarunt, aluerunt, provexerunt, conſtabiliverunt. Et divina gratia mirifice illorum favit ſucceſſibus. Inermes, imbelles ac magiſtratus ope deſtituti cum eſſent, Judæorum inveteratam ſuperſtitionem, gentium idolomaniam, improbos Pſeudoprophetarum conatus expugnarunt. Satis fuit Paulo dixiſſe: hæreticum hominem poſt unam aut alteram admonitionem devita, &, ſi quis imbecilla ſit fide

ſide, huic nulla cum animi dubitatione opitulamini. Tu, qui es, qui alienum famulum damnas? Domino ſuo ſtat & cadit. Placuit illa agendi ratio primitivæ Eccleſiæ doctoribus, nec niſi ſero chriſtiani gentilium imperatorum tyrannidem imitari cœperunt. Usque ad Auguſtini tempora, h. e. quadringentis poſt Chriſtum natum annis, nunquam Imperatorum adverſus heterodoxos implorata fuerunt præſidia. Primum huc illos, Donatiſtarum & Circumcellionum pervicax & inſanabilis impulit inſania, qui, præter ſchiſma, quo non aliud exitiabilius, ſi proceſſiſſet, agitabant, vulnerabant orthodoxos, injecta in oculos calce exoculabant, alios occidentes, alios ad aliorum trucidationem metu mortis adigentes. Adverſus hos cum de implorando Cæſaris præſidio agitaretur, non tamen in initio Auguſtino aliisque mitioribus imploratio profanæ poteſtatis ad negotium eccleſiaſticum placuit. Exiſtimabant utique, Epiſcopos non decere aliis armis, quam precibus, &, ſi inſanabile foret malum, anathemate ac ſeparatione ab Eccleſiæ communione uti, quod Papa Romanus quotannis quovis viridium die contra diſſidentes facit. Hoc tum erat extremum Eccleſiæ ſupplicium, &, ſicut apud Jureconſultos civilis mors exilium dicitur: ita apud Apoſtolos & horum ſucceſſores pœna capitis erat ab Eccleſiæ conſortio ſubmoviſſe. Adeo illorum animus abhorruit ab exiliorum, carcerum, confiſcationum, & ſuppliciorum corporalium ſævitia, quæ Jeſuitis Thorunienſibus & Polonicis nimium placuerunt. Enim vero non ante, quam Impe-



Digitized by Google

ratorum potentia tuta chriſtianorum fuit fides, ad dura iſta perſecutionum cauteria ſe recepit Eccleſia. Audita tum demum pernicioſiſſima Neſtorii Epiſcopi ad Theodoſium oratio: *O Cæſar, da mihi regnum ab hæreticis purgatum, & ego tibi cœlum daturus ſum; ſis mihi auxilio in expugnandis hæreticis, & ego tibi in Perſis hoſtibus devincendis opem feram.* In quem ſenſum & hoc tempore non ſemel pro concione in Polonia peroratum eſt. Hinc factum, ut Jeſuitæ atque omnis illorum Clericatus Magnates veluti nare Bubalos ad ſanguinariorum decretorum adverſus Thorunienſes diſſidentes promulgationem pertraxerint. Quamvis & Cæſarum quoque exempla adduci poſſint, qui in ſuo regno liberam religionem eſſe paſſi ſunt, & aliis, præterquam orthodoxis, docendi copiam fecerunt. Gratianus ab exilio revocatus omnibus lege ſancivit, ut una quæque religio licite ſua celebraret ſacra, ſolos vero Eunomianos, Photinianos & Manichæos ab Eccleſiis prohibuit. Valentinianus, cum ita ſaperet, ſicut Nicæni Patres, aliter ſentientibus non erat importunus. Conſtantinopoli ipſe Theodoſius Arianis & Macedonianis extra urbem oratoria facere permiſit, Novatianis vero intra urbem Eccleſias habere & collectas facere conceſſit. Notum, quibus rationibus Themiſtius Philoſophus Valentem Imperatorem a chriſtianorum perſecutionibus revocavit. Et quanquam Innocentius Roma Novatianos expuliſſet, talia tamen Conſtantinopoli non permiſerunt. Et quamvis Romani Epiſcopi apud Imperatores ſummo in hoc incumberent

ſtudio,

ſtudio, ut, qui hæretici dicebantur, ex urbe Conſtantinopoli ejicerentur, illud tamen nunquam obtinere potuerunt, usque dum Juſtinianus, importunis victus flagitationibus, Agapeto Pontifici, ut dirutis ipſorum Eccleſiis urbe ejicerentur, conceſſit. Imperante Honorio, Anas Epiſcopus Conſtantinopolitanus non ſuæ fidei ſolum hominibus erat benevolus, ſed hæreticis etiam ſuæ ſapientiæ miraculum, inquit Sozomenus, demonſtrabat, quos vexare quidem nolebat, cum vero eos terrere tentaſſet, denuo manſuetudinem oſtentabat. Certe ſi veterum exempla imitari libet, cur non potius æquitatis, moderationis & clementiæ exempla placent, quam ſeveritatis, crudelitatis, violentiæ, quæ non in Chriſti, ſed Antichriſti ac tyrannorum caſtris ſemper militavit. Eſt regnum Chriſti cœleſte prorſus, ac ſpirituale, ideoque ſpiritualibus ſolum armis, h. e. ratione ac argumentorum efficacia pugnandum, nec corporalis adhibenda vis, ubi de cauſæ æquitate & ſententiæ veritate præſumitur. Chriſtianorum hoſtes vitia ſunt, contra quæ virtutibus contrariis certandum, ut doctrina ignorantiam pellat, veritas errorem discutiat, patientia injuriam vincat, modeſtia ſuperbiæ reſiſtat, diligentia pigritiæ opponatur. Hic ſi cogas, fictos habebis Chriſtianos, plurimos purpuræ, paucos Dei cultores. Nec hoc prætermitti debet, in iſtiusmodi negotio ſæpiſſime veritatis & innocentiæ doctores perſecutionibus infeſtari, dum mendaciorum, falſæ doctrinæ, ſeditionum ac periculoſi literarum commercii ipſis, quod in Polonia fit,

crimen

crimen affingitur. Accidit hoc Chriſto, Apoſtolis, & Chriſtianorum, ſub Romanorum Imperatorum tyrannide, Eccleſiis. Obſcura eſt veritatis dignotio, & quamdiu in terris agimus, per ænigma & ſpeculum videmus. Incerta ſæpe ſunt & cœca hominum judicia, & tenebras pro luce, falſum pro vero, errorem pro ſcientia, ſuperſtitionem pro vero Dei cultu amplectimur. Ut ſatius ſit, hic aut ἐπέχειν, aut ſinere, ut ſuo quisque ſenſu abundet, quam ut carceribus, exiliis, bonorum exactionibus, & id genus ſimilibus pœnis optimi ſæpe vexentur mortales, hoc ſolum nomine inviſi, quod de ſalute ſua ſe impenſius ſollicitos eſſe profiteantur. Cur non potius Judæorum exemplum ſequimur, quorum hoc erat effatum: Elias omnia difficilia corriget? Cur non Judæ Machabæi factum placet, qui de ara ſolidi ſacrificii cum quid ſtatueret, non haberet, ejus lapides in monte templi opportuno poſuit loco, donec aliquis adveniret Vates, qui de iis oraculum referret. Ut nihil dicam de Gamalielis conſilio, præſtiterit meo judicio Romanorum legem de vindiciis ſequi, quæ erat hujusmodi: ſi quis, qui hactenus ſe pro libero gesſiſſet, ab aliquo in jus vocaretur, qui eum ſervum eſſe aſſereret, interea dum cauſa pendebat, vindiciæ dabantur ſecundum libertatem, donec in judicio planum factum eſſet, utrum is liber, an ſervus foret. Cum enim de ejus conditione dubitaretur, ſi forte liberam eſſe contigiſſet, & interea temporis pendente lite ſerviliter habitus eſſet, facta foret homini libero gravis injuria. At quanto id in rebus religionis fieri

Digitized by Google

fieri æquius eſt, in quibus peccatur graviſſime, & ob quæſtiones non raro ſpinoſas ac dubias, alii in alios non expectata ſupremi judicis voce, latrocinamur & carnificinam exercemus. Jam illud quoque ad Pruſſo-Polonico-Thorunienſem rem facit, quod, cum dupliciter in Republica peccetur, vel circa fidem, vel circa mores; illinc ignorantia, errore, hæreſi, ſuperſtitione; hic manifeſta improbitate, latrociniis, perjuriis, cædibus, tam præpoſtera Magnatum eſſe ſtudia videamus, ut Rempublicam perditiſſimam & ſceleratiſſimis moribus temeratam, quam aliqua ſui parte in religione diſſidentem habere malint. Maledictam eſſe clamant Rempublicam Jeſuitæ, ſi diſſentientibus gratia fiat, & tum demum beatam & tranquillam autumant, ſi heterodoxi Doctores exterminentur. Verum falſiſſima hæc eſt opinio, multorumque exemplis comprobari poteſt, magis turbatas iſtoc rigore Reſpublicas, quam pacatas fuiſſe. Machabæorum temporibus inſtituta in Judæos Religionis ergo ab Antiocho Epiphane perſecutio graviſſimis bellis occaſionem dedit, quæ non, niſi ceſſante hac, finita ſunt. Demetrius Epheſinus cum Paulum docentem non ferret, magnis univerſam urbem involvit tumultibus. Idem accidit Hieroſolymis Judæorum in Paulum furore. Quas non turbas orbi dedit Arianorum in Catholicos, & Catholicorum in Arianos rabies & immanitas, facem accendentibus tot Conciliorum hinc inde anathematiſmis. Quem quiſque in partes ſuas pertraxerat Cæſarem, ad alterius partis oppreſſionem ſtilo & voce armabat. Nimia Romanorum Pontificum in Græcorum Eccleſias dominandi libido has

B peſſum-

peſſumdedit, & Chriſtiani orbis propugnacula Mahometanis aperuit. Superiora ſecula evolvite, & tot bellorum, calamitatum, vaſtationum, non aliam reperietis cauſam, quam ſanguinaria Cæſaris in hæreticos, ſic vocabant, edicta. Nec pacari ante Germania, Gallia, Helvetia potuit, quam conceſſa conſcientiarum & religionem profitendi libertate. Ubi hæc viget, pacatiſſima utique videmus regna; quod nec ipſum Turcarum Imperatorem latet, qui non ſuæ religionis ſolum, ſed & Judæis & Chriſtianis omnibus docendi copiam facit, nec, quid ſentiant, rigide inquirit, modo ſibi obedientiam & obſequii ſymbola, cenſus præſtant annuos. Et hic quoque verum eſſe reperimus, ut, quales nos erga alios geſſerimus, tales erga nos alios experiamur. Hippon, Africæ civitas, cum legum imperialium timore ad Catholicam compulſa eſſet unitatem, mox Vandali Ariana fide per Gothorum Epiſcopos imbuti, in ſuæ religionis formulas Epiſcopos orthodoxos jurare, aut Eccleſiis abire coegerunt. Ea quoque tempeſtate, qua Innocentius Romæ Novatianos aliasque ſectas perſequi, & Eccleſias eorum diſſipare cœpit, Gothi Italiam invaſerunt, Romam expugnarunt, omniaque fœdiſſime vaſtarunt. Trahitur in exemplum crudelitas, & poſterioribus priorum placet improbitas. Mahometus, Turcarum Imperator, ab ipſis Chriſtianis perſecutionum modos didiciſſe perhibetur. Et qua ſævitia Catholici diſſidentes, eadem hi Catholicos variis forſan in locis exercebunt. Admirabilia Dei ſunt judicia, & arcano providentiæ motu nimis efferos atque inſolentes Loyolitarum ſpiritus retundet, qui ad diſſentientium oppreſſionem

conſilia

conſilia & operas contulerunt. Mox inſiſtet ipſis haud dubie divina Nemeſis. Exulandum forte in ſacra iſta fabula Thorunienſi & Dreſdenſi Davis. Tunc Pythagoræorum vox erit: *qui patitur, quod fecit, ei jus contigit æquum.* Cui conſonum eſt Chriſti oraculum: qua menſura menſi fueritis, eadem metientur & vobis. Et mirum, Poloniarum Magnates, quos prudentia, judicii rectitudo, & erectior indoles populo ſecrevit, in perficiendis Clericorum votis tam faciles fuiſſe. Sunt quidem, quos zelus Dei & religionis ſtudium, ſed cum ignorantia conjunctum transverſos rapit, qui Chriſtianos perſequendo Chriſti ſe cauſam ſtrenue agere ſibi perſuadent, & dum Deo ſuo Maozim, hoc eſt, violentiæ & crudelitati litant, Deo ſe ſacrum facere autumant. Atque his,utpote nequaquam peſſimis, veniam oravit Chriſtus. Cæteri malitia peccant, licet zeli quoque nomine invidiam, malitiam, avaritiam aliaque vitiorum portenta tegant, nec populum ſolum hisce præſtigiis faſcinent, ſed & judicum oculis tenebras offundant. Ad quæ ſi attenderent Rerumpublicarum rectores, parcius Theologorum inſtituto obſequerentur. O ſeculum! Chriſti ſtudio ſanguinarii erimus,qui, ne aliorum ſanguis effundendus eſſet,ipſe ſuum effudit.Chriſti ſtudio Zizania exſtirpabimus,qui,ne bonæ fruges exſtirparentur,ad meſſem usque juſſit relinqui Zizania. Chriſti ſtudio alios perſequemur, qui juſſit, ut, ſi nobis feriatur mala dextera, obvertamus ſiniſtram. Chriſti ſtudio inferemus aliis malum, qui nobis, ut pro malo bonum reddamus, præcepit. Quare Poloniarum Principes rectius feciſſent, ſi aliam viam ingreſſi nimios ſuos impetus

 ſtitiſſent,

Digitized by Google

ſtitiſſent, ne ulciſcendi magis libidine,quam religionis amore duci viſi fuiſſent. Præſtat in religionis controverſiis partes admittere,quam pietatis titulo tyrannidem exercere. Multæ in domo patris ſunt manſiones, nec ob ſolos Pontificios, cœlorum machina eſt creata. Latius patet Eccleſiæ Catholicæ nomen,quam ut tam arctis ea circumſcribi debeat limitibus. Quod ſi ita eſt, inhumanum erit, diſſidentibus in Polonia & Lithuania patriæ portiunculam invidere, quos inter patriæ cœleſtis heredes ac bonorum ſuorum conſortes ſupremum adſcripſit Numen: iis alimoniam negare, quos creatoris paſcit benignitas: eos anathemate ferire, qui chriſtianam fidem ex primitivæ Eccleſiæ ſenſu profitentur. Et quanquam optabilius foret, unum eſſe omnium fidelium cor, unam animam, cum hæc tamen Eccleſiæ felicitas per humanam infirmitatem obtineri non poſſit, minore incommodo cœtuum variorum admittitur diſtinctio, quam ut ante tempus meſſis, cum incerta adhuc Zizaniorum eſt diſcretio, cum ex ſe ipſis fide digna non ſunt Doctorum judicia, cum multorum injuria & noxa, judicii falcem ſtringatis. De aperte blaſphemis non loquor, nec de iis, qui ipſa probitatis ac recte vivendi præcepta everſum eunt. De iis loquor, qui Dei timentes ſunt, quorum innocens ac ſancta vita conſcientiæ integritatem arguit; nec alio fine ſententiæ ſuæ inhærere probabile eſt, quam quia ſic credere & Deo glorioſius, & nobis ſalutare magis exiſtimant. Noſtrum eſt probare ſpiritus, an ex Deo ſint, nec Prophetiarum diverſitatem adſpernari. Quod ſi non alio remedio, quam perſequendo ſervari poſſe creditur Eccleſiæ unitas,

nitas, ſatius erit, diſtinctos locis Eccleſiæ Catholicæ cœtus admittere, quam hujus vel illius oppreſſione ad fictam ac imaginariam illam unitatem adſpirare. Non alia ſtatim eſt Eccleſia, quæcunque alia aut plus, aut minus ſapit, modo Jeſum profiteatur, eumque crucifixum. Tu quis es, ait Apoſtolus, qui fratrem tuum condemnas? nullo non tempore fuit Eccleſia Dei, nec tamen omni tempore ab omnibus credita, quæ nunc ſingula credi jubentur, & tamen ea credita, quæ neceſſaria creditu fuere. Hæc pauciſſima ſunt. In reliquis aut doctioribus nobis eſſe licet ſine ſalutis compendio, aut indoctioribus ſine ſalutis diſpendio. Nec parum his rationibus momenti afferent clariſſimorum Eccleſiæ procerum judicia, & candidiores calculi. Ita Lactantius: diſtringant, inquit, aciem ingeniorum ſuorum. Si ratio eorum vera eſt, parati ſumus audire, ſi doceant: Tacentibus certe nihil credimus, ſicut ne ſævientibus quidem cedimus. Et paulo poſt: quid ergo ſæviunt? Ut ſtultitiam ſuam, dum minuere volunt, augeant? Longe diverſa ſunt carnificina & pietas, nec poteſt aut veritas cum vi, aut juſtitia cum crudelitate conjungi. Sentiunt, nihil eſſe in rebus humanis Religione præſtantius, eamque ſumma vi defendi oportere: ſed ut in ipſa Religione, ſic in defenſionis genere falluntur. Defendenda Religio eſt, non occidendo, ſed monendo; non ſævitia, ſed patientia; non ſcelere, ſed fide. Illa enim ſunt malorum, hæc bonorum. Et neceſſe quidem eſt bonum in Religione verſari, non malum. Nam ſi ſanguine, tormentis, exilio, carceribus, mulctis, cædibus Religionem defendere velint, illa non defenditur, ſed violatur. Alieniſſimum

 hoc

Digitized by Google

hoc eſt ab indole chriſtiana, alienum a creatoris veſtri moribus,qui,dum Solem ſuum oriri ſinit ſupra bonos & malos,nec hoſtibus,quæ ad victum & amictum neceſſaria ſunt,denegari cupit, ad hujus ſuæ erga homines benevolentiæ imitationem invitat. Et quid inhumanius,quam Religionem,ad ſalutem hominum datam, ad bonorum peſtem perniciemque conferre? Certe inſolentiæ hujus adverſantur optimi antiquorum canones,qui vetant, ne ſpirituales ullam ob rem, nedum ob fidem aut hæreſin,quemquam occidere,aut ei manus injicere audeant,neque per ſe,neque per alios: ac neque voluntatem,neque factum,neque conſilium ſuum ad id accommodent: quin etiam alios,qui id fecerint, judicent atque puniant. Auguſtinus cum Manichæorum decertans hæreſi ac impiis dogmatibus, hunc in modum illos affatur: illi ſæviant in vos, qui neſciunt,cum quo labore verum inveniatur, & quam difficile caveantur errores. Illi ſæviant in vos,qui neſciunt, quantis ſuſpiriis & gemitibus fiat, ut ex quantulacunque parte intelligi poſſit Deus. Ego autem in vos ſævire omnino non poſſum,quos, ſicut me ipſum illo tempore,ita nunc ſuſtinere,& tanta patientia vobiſcum agere debeo, quanta mecum egerunt alii, quum veſtro in dogmate rabioſus & cœcus errarem. Hilarius hanc ſævitiæ ſpeciem in diſſentientes admodum pathetice adverſus Auxentium Arianum his verbis deplorat: Ac primum ætatis noſtræ laborem miſerari licet, & ſtultas præſentium temporum congemiſcere opiniones, quibus humana Deo patrocinari creduntur, & ad tuendam Chriſti eccleſiam ſeculari ambitione laboratur. Oro vos,Epiſcopi,qui hoc vos eſſe creditis, quibus-

quibusnam ſuffragiis ad prædicandum Evangelium Apoſtoli ſunt uſi? Quibus adjuti poteſtatibus Chriſtum prædicaverunt? Gentesque vero omnes ex idolis ad Deum tranſtulerunt? Anne aliquam ſibi aſſumerent e palatio dignitatem, hymnum Deo in carcere inter catenas & poſt flagella cantantes? Edictisne regis Paulus, cum ipſe in theatro ſpectaculum eſſet, Chriſto Eccleſiam congregabat? Nerone, aut Veſpaſiano, aut Decio patrocinantibus tuebatur, quorum in nos odiis confeſſio divinæ prædicationis effloruit? Illi manu atque opere ſe alentes, intra cænacula, ſecretaque coeuntes, vicos & caſtella, gentesque fere omnes, terra ac mari contra Senatus conſulta & regnm edicta peragrantes, claves (credo) regni cœlorum non habebant? aut non manifeſta ſe tum Dei virtus contra odia humana porrexit? cum tanto magis Chriſtus prædicaretur, quanto magis prædicari inhiberetur? At nunc proh dolor terrena ſuffragia divinam commendant fidem: inopsque virtutis ſuæ Chriſtus, dum ambitio nomini ſuo conciliatur, arguitur: terret exiliis & carceribus Eccleſia, quæ exiliis & carceribus eſt creta. Fugat ſacerdotes, quæ fugatis ſacerdotibus eſt propagata. Diligi ſe gloriatur a mundo, quæ Chriſti eſſe non potuit, niſi eam mundus odiſſet, &c. Eadem Damaſceno mens fuit, qui 3. ſentent. cap. 32. tradit, Evangelium toto orbe fuiſſe prædicatum, ſed multis telis, aut armis, aut bello ſuos adverſarios viciſſe, ſed a paucis nudis, pauperibus, indoctis & flagellatis confuſos fuiſſe ſapientes mundi. Sed plurium jam definimus, atque ad eos, quorum gratia hanc ſuſcepimus operam, nos convertimus. Peroraturi, qui breviſſimas amplificationes dialecticas ſecundum locos topicos ſermone patrio recitare juſſi, ſunt:

I. LAMBERTVS JOANNES CHERVBIM, Helmſtadienſis, qui a definito ad definitionem, idque negative, concludet, *cui non competit definitum, ei nec competit definitio.* Sit thema: Chriſtiani non eſt, aliud verbis præ ſe ferre, aliud mente occultare. Argumentum erit tale:

Cuicunque non competit hypocriſis, ei nec competit, aliud verbis præ ſe ferre, aliud mente occultare,

Chri-

Chriſtiano non competit hypocriſis,
E. Chriſtiano nec competit, aliud verbis præ ſe ferre, aliud mente occultare.

II. AVGVSTVS HENRICVS WöLDEKEN, Volckmarsdorffienſis, beneficio hujus canonis: *cui competit definitum, ei etiam competit definitio*, poſitive colliget. Sit thema: Juventutem noſtram ſcholaſticam decet cum literis probis etiam ſtudere moribus, probatur a definito, quia ſunt ſtudioſi. Argumentum erit tale:

Quicunque eſt ſtudioſus, ille cum literis probis etiam ſtudere debet moribus,
Juventus noſtra ſcholaſtica ſunt ſtudioſi,
E. Juventus noſtra ſcholaſtica cum literis probis etiam ſtudere debet moribus.

III. AVGVSTVS WILHELMVS KERL, Langelebienſis, ex hac regula affirmate inferet: *poſito antecedente, veriſimiliter ponitur conſequens.* Sit thema: imminere ſtudioſis vulnera per nocturnos tumultus & provocationes: ita canon docet colligere.

Quicunque gaudent nocturnis tumultibus & provocationibus, illis imminent vulnera,
Atqui ſtudioſi quidam &c. E.

IV. CHRISTIANVS WILHELMVS BEHSEN, Dettumenſis, negate vi hujus maximæ: *negato aut ſublato antecedente negatur aut tollitur conſequens.* Sit thema: impiis non eſſe præſentem Dei gratiam, probatur ex antecedente, quia non ambulant in viis Domini. Ita enim ex hoc canone colliget:

Quicunque non ambulant in Dei præceptis, illis ejusdem gratia non eſt præſens,
Atqui impii non ambulant in Dei præceptis, E.

Ad quos benigne audiendos ſumme venerabilis Dn. Abbas, nobiliſſimus Dn. Præfectus, plur. reverendus Dn. Prior, atque alii, quibus huc accedere commodum, viri doctiores, quacunque decet ratione, invitantur. P. P. In valle D. Mariæ, d. 30. Sept. A. O. R. 1726.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google